



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Q. An qui dubitant de Justitia Belli, possunt aut debent Militare.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

auctoritas publica, cujus milites sunt tantum executores. 6. Nihil auferre vel exigere à subditis reip. hostilis, qui principi vel duci aliquid solvunt pro redimenda omni exactione & damnificatione: nam hac solutione Jus acquirunt ad immunitatem ab omni damno & exactione. 7. Semper meminerint se obligari Legibus divinis & humanis, & semper teneri abstinere ab omni crudelitate, luxuria, ebrietate, blasphemia, impietate, perjurio, duello, furto, injuria, &c.

Q. An qui dubitant de Justitia belli, possunt aut debent militare?

Resp. Subditi, qui de belli Justitia dubitant, Principi jubenti parere debent ac militare; nam in dubio quisque tenetur obedire Superiori suo, cum hic sit in possessione potestatis precipiendi, idque exigat debita subordinatio. *Vir justus si forte sub Rege homine etiam sacrilego militet, recte potest illo jubente bellare, cui quod jubetur, vel non esse contra Dei praeceptum, certum est; vel utrum sit, certum non est: ita ut fortasse reum Regem faciat iniquitas imperandi: innocentem autem militem ostendat ordo serviendi.* Ait Sanctus Augustin. l. 22. contra Faust. c. 75. idem de extraneis, qui ante bellum erant stipendiarii; quia debent Principi suas operas admilitandum, quo Jure certo in dubio privari non debet princeps. Item milites subjecti vel conducti Justitiam belli examinare non tenentur,

nentur, quamdiu nulla probabilis ratio in contrarium occurrit, quæ ipsis dubium positivum afferat. At extranei nondum stipendio conducti, belli Justitiam investigare debent, nec militare nisi factâ inquisitione prudenter judicent talem Principem bellum justum gerere: alioqui non possunt prudenter judicare se non peccare militando. Nec eis licet militare sub Principe de cujus Justitia dubitant; quia nullâ cogente & exculante obediendi necessitate exponerent se periculo gravissimæ injuriæ aliis inferendæ.

Porro nemo debet contra proprium Principem aut patriam militare, cum hoc sit contra pietatem & fidelitatem debitam.

CAPUT VII.

De Obligationibus Medicorum, Pharmacopæorum, & Chirurgorum.

Dico, hi tenentur sub mortali 1. Habere sufficientem scientiam & peritiam. 2. Impendere debitam diligentiam ad curandos morbos. 3. Adhibere remedia tiora, certiora, aut in horum defectum probabiliora, & quæ citius sanitatem allatura sunt: tum quia alioqui vitam proximi periculo imprudenter exponerent: tum quia tenentur ex charitate, & ex officio ac Justitia, in meliori modo quo possunt, & cum minimo damno ac periculo